

anxietate amplectatur. 2. Si indoctus sit, petat à direttore conscientiae cum plenâ submissione, quid agendum, & caecè amplectatur illud, quod ipse praescripserit, inattento quovis scrupulo, plura in aliis auctoribus videri possunt.

DISPUTATIO X.

De Virtutibus.

EXpositâ regulâ, cui actus morales conformandi sunt, nunc explicandæ sunt qualitates, quibus potentiae indifferentes ad operandum bene vel malè perficiuntur ad constanter & delectabiliter bene operandum, quæ sunt virtutes, quibus opponuntur vitia disponentia & inclinantia ad malos actus & peccata.

QUÆSTIO I.

Quid est quotuplex sit virtus?

NOmen virtus quandoque sumitur pro quâcunque perfectione ad operandum ordinatâ, in hoc sensu definitur à philosopho: dispositio perfecti ad optimum. Hoc est: dispositio potentiae ordinata ad operationem eliciendam; hoc sensu sanitas, robur, gratia sunt virtutes ad operandum ordinatæ. Quandoque strictius sumitur virtus pro proximâ facultate ad operandum. Ita calor est virtus ignis, virtutes vegetativæ & sensitivæ sunt virtutes naturales animalis. In præsentî sumitur virtus pro facultate creaturæ rationalis ad bene operandum. De quâ.

DICO I. *Virtus est bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nullus malè utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.... ista definitio perfectè complectitur totam rationem virtutis, S. Th. hic Q. 55. a. 4. in prin. & O* Hæc virtutis definitio tradita à S. Th. ex S. Augustino probatur explicando singulas parti-

particulari;
transcendent
vel bonitate
erente. 2.
tatis, & qu
es, qui divid
bitum secu
to statum di
moraliter ha
viti, quia phy
videtur ratio
& vitio, cum
si difficulter
minicis sit fa
habitus ratio
nate rationali
ter, per v
3. Mentis
non subiect
animæ, in
4. Quâ rectè
rectæ operati
talem inclina
inclinat ad m
tur, In quo
indifferenter
quæ inclinat
nobis sine nob
veniunt solis
nobis actib
etiam aliis v
naturæ corru
ad quam ac
quilio.
Obj. I.

particulas: dicitur: 1. *Bona*. Non bonitate tantum transcendentali, quæ est communis omnibus entibus, sed bonitate morali creaturæ rationali quæ tali conveniente. 2. *Qualitas*. Quia virtus est de genere qualitatis, & quidem genus proximum virtutis est habitus, qui dividitur in virtutem & vitium saltem sumendo habitum secundum modum, in quantum habet in subiecto statum difficilis mobilitatis, & ita Theologicè vel moraliter habitus potest dici genus respectu virtutis & vitii, quia physicè & in rigore philosophico probabilius videtur rationem habitûs non esse communem virtuti & vitio, cum virtus secundum sua principia essentialia sit difficulter mobilis, econtrà vitium ex principiis intrinsicis sit facilè mobile, & obtineat tantum statum habitûs ratione subiecti. Per virtutem facultates naturæ rationalis disponuntur ad operandum convenienter, per vitium ad operandum inconvenienter. 3. *Mentis*. Ut designetur subiectum virtutis, quæ non subiectatur in organo corporeo, sed in potentiis animæ, intellectu, voluntate & appetitu sensitivo. 4. *Quæ rectè vivitur*. Quia virtus est principium rectæ operationis, nec potest ad actum pravum quæ talem inclinare, in quo distinguitur à vitio, quod inclinat ad malè vivendum. 5. *Quæ nullus malè utitur*. In quo distinguitur ab habitu indifferente, qui indifferenter se habet ad bonum & malum: ut opinio quæ inclinat in verum & falsum. 6. *Quam Deus in nobis sine nobis operatur*. Quæ particulæ in rigore conveniunt solis virtutibus infusis, quæ non comparantur nostris actibus, sed à Deo infunduntur; quamvis etiam aliis virtutibus applicari possint, cum in statu naturæ corruptæ vix ulla detur virtus simpliciter dicta, ad quam acquirendam non indigeamus infuso Dei auxilio.

Obj. 1. Virtutibus intellectualibus non bene vivi-

tur; ergo definitio non convenit omnibus virtutibus.

R. Distinguendo ant. virtutibus intellectualibus non bene vivitur simpliciter Con. secundum quid N. quamvis enim absolutè tantum benè vel rectè vivamus per virtutes morales & Theologicas, quæ sunt in voluntate: quia per illas habetur rectitudo sive bonitas simpliciter dicta, attamen secundum quid rectè vivimus virtutibus intellectualibus: rectitudine vid. illius potentia, in quâ virtutes intellectuales sunt.

Obj. 2. Potest quis quâlibet virtute malè uti illam referendo ad malum finem.

R. Distinguendo potest quis malè uti quâlibet virtute materialiter transeat. Quia illud non est verè uti virtute, sed est elicere actum malum circa eam materiam, quæ posset esse objectum vel actus virtutis, Formaliter N. ut quis utatur virtute malè formaliter, debet ipsa virtus per modum principii effectivi concurrere ad malitiam actûs, hoc autem non potest fieri: cum actus cujuslibet virtutis sit ex suo genere rectus respiciens verum vel bonum. Quamvis aliquibus virtutibus quis malè uti possit materialiter. Ut: virtutibus intellectualibus: quia eorum rectitudo in hoc consistit, quod attingant verum sub ratione veri, nec ex suo genere determinant ad bonum usum actûs; attamen non omnibus virtutibus quis malè uti potest: ut: prudentiâ, quæ determinat ad bonum usum actûs, adeoque rectitudo prudentiæ destruitur repertâ quâcunque malitiâ morali in actu subjecto prudentiæ.

DICO 2. *Virtutes intellectuales & morales perficiunt intellectum & appetitum hominis secundum proportionem nature humane, sed Theologica supernaturaliter, S. Th. hic Q. 62. a. 2. ad 1.*

Explicatur & probatur conclusio adducendo virtutum divisiones quarum generalissima est: quæ
1. divi-

D
dividitur virt
teologicam; vi
lectum in ore
moralis volun
actingendam
um vel ultim
2. Virtus inte
um principio
& artem, Ra
quod versatu
um vel est pract
torem. Verita
orum, quod
plicatione, &
morum princi
tus, vel illa v
um ex primis pr
ne, si princi
veritas, sint prin
tudens veritate
vel principia, ex
sunt principia pa
tunc est scient
culas particular
tificandum a
repat juxta rec
um finem, &
dans circa agi
manz. Si au
tendum rectè
tine artificia
tus circa factib
rectitudo sit
ad ideam in m
3. Virtutes

1. dividitur virtus in intellectualem, moralem & Theologicam; virtus intellectualis est, quæ perficit intellectum in ordine ad cognoscendum verum. Virtus moralis voluntatem & appetitum afficit ad honestatem attingendam, Virtus Theologica immediatè ad Deum velut ultimum finem terminatur.

2. Virtus intellectualis dividitur in habitum primorum principiorum, sapientiam, scientiam, prudentiam & artem. Ratio hujus divisionis est: quia verum; circa quod versatur virtus intellectualis, vel est speculativum vel est practicum, sive veritas aliqua ordinata ad actionem. Veritas speculativa, vel est principium per se notum, quod fit manifestum ex solâ terminorum explicatione, & circa talem veritatem versatur habitus primorum principiorum, qui ab aliis vocatur intellectus, vel illa veritas speculativa eruitur per discursum ex primis principiis mediatè vel immediatè, & tunc, si principia illa, ex quibus proximè deducitur veritas, sint principia universalissima, est sapientia concludens veritatem speculativam ex causis altissimis, vel principia, ex quibus deducitur veritas speculativa, sunt principia particularia determinata in certâ materiâ, & tunc est scientia, quæ probat suas conclusiones per causas particulares. Veritas practica vel ordinatur ad rectificandum appetitum, ut rectè moraliter agat vel appetat juxta rectam rationem & conformiter ad ultimum finem, & tunc est prudentia, quæ est habitus versans circa agibilia ab homine in ordine ad finem vitæ humanæ. Si autem veritas practica ordinatur ad aliquid faciendum rectè juxta regulas operis faciendi sive rectitudine artificiali, tunc est ars, quæ est habitus versans circa factibilia seu facta externa, quorum bonitas & rectitudo sita est in conformitate ad regulas artis, vel ad ideam in mente artificis.

3. Virtutes morales dividuntur in illas, quæ sunt

circa operationes voluntatis ad alterum. Ut : *justitia*, quæ reddit voluntatem promptam ad reddendum alteri strictè debitum. *Gratitudo*, quæ inclinat voluntatem ad regratiandum benefactori. *Pietas*, quæ facit voluntatem facilem ad deferendum honorem, aliaque obsequia iis, à quibus sumpsimus originem. Aliæ virtutes morales versantur circa passiones appetitûs sensitivi moderandas, illas ad debitum ordinem & subjectionem rectæ rationi reducendo. Ut : *temperantia* moderatur appetitum concupiscibilem, ut delectabilia sensibus appetat moderatè, non excedendo nec deficiendo à regulâ rectæ rationis, *fortitudo*, quæ moderatur appetitum irascibilem, ut mala & sensibus adversantia patienter & fortiter ferat juxta regulas honestatis. Inter virtutes morales aliquæ sunt principales, ad quas reliquæ omnes suo modo reducuntur, & ideo hæ vocantur virtutes cardinales, & sunt quatuor : *Prudentia justitia, fortitudo, temperantia.*

4. Virtutes morales dividuntur etiam in infusas & acquisitas. Morales infusæ à virtutibus moralibus acquisitis in hoc distinguuntur, quod virtutes morales acquisitæ nostris actibus obtineantur, sed virtutes morales infusæ solâ gratiâ divinâ obtinentur & infunduntur ; cujus ratio fundamentalis est : homo vel creatura rationalis non solum rectificanda est in operationibus, quæ versantur circa Deum velut finem naturalem, sed cum elevata sit ad statum supernaturalem, sive cum sit facta capax obtinendi finem supernaturalem sive videndi Deum sicuti est in se, amandi Deum sicut ipse se amat ; ideo rectificanda etiam est in operationibus supernaturalibus, quæ versantur circa Deum ut ultimum finem supernaturalem ; & si versantur hæ operationes immediatè circa Deum, ut finem supernaturalem, tunc eliciuntur à virtutibus Theologicis ; si autem versentur immediatè circa media ad finem supernatu-

elem, tunc eli
que immediate
creatum, qua
antur.

Virtutes Theo
charitatem

ordinatur ad I
er cognitionem

ni, quod fit
urgit in Deum

quem appetend

cupit. Vel De
cupit & unit

in ; & hoc fit p
An motivum

motivo virtutis

motivo temp
in appetito delect

ioctas habet ordi
temperantia videt

finem supernatural
Theologica, ac

colligitur intrin
ta, eo quod id

Virtutes acquisi
feritatem moti

ne habent mot
motivum super

naturalem sunt in
acquisitis elici

temperantia
concupiscibili

ad bonum na
speculum rationi

naturalem, tunc eliciuntur per virtutes morales infusas, quæ immediatè quidem attingunt aliquam bonitatem creatam, quæ tamen ad finem supernaturalem ordinatur.

§. Virtutes Theologicæ dividuntur in tres. *Fidem, Spem & charitatem*; cujus divisionis ratio est, quia homo ordinatur ad Deum velut finem supernaturalem, vel per cognitionem intellectûs lumine supernaturali illustrati, quod fit per virtutem Theologicam fidei. Vel assurgit in Deum per voluntatem, illum ut consequibilem appetendo; & hoc fit per virtutem Theologicam spei. Vel Deo velut ultimo fini supernaturali sese conjungit & unit, ipsi appetendo omnia bona & seipsum; & hoc fit per Theologicam charitatem.

*Q*uæritur An motivum virtutis moralis infusæ sit idem cum motivo virtutis moralis acquisitæ? sit pro exemplo: motivum temperantiæ est honestas mediocritatis in appetendo delectabilia sensibus; quod hæc mediocritas habeat ordinem ad finem supernaturalem, actui temperantiæ videtur extrinsecum: cum talis relatio ad finem supernaturalem fieri possit per imperium virtutis Theologicæ, ac ita actus virtutis moralis infusæ non distinguitur intrinsecè ab actu virtutis moralis acquisitæ, eò quod idem utriusque motivum essentielle sit.

¶. Virtutes acquisitas ab infusis distingui intrinsecè per diversitatem motivorum formalium: quia virtutes acquisitæ habent motivum naturale, virtutes infusæ habent motivum supernaturale; ideoque actus virtutum infusarum sunt intrinsecè supernaturales nec à virtutibus acquisitis elici possunt. Res erit clarior in exemplis: temperantia acquisita moderatur passiones appetitûs concupiscibilis juxta regulam rectæ rationis in ordine ad bonum naturæ: salutem corporis, liberum & expeditum rationis usum; temperantia infusa hæc

easdem

easdem passiones moderatur in ordine ad finem supernaturalem. Fortitudo acquisita moderatur passiones appetitûs irascibilis in ordine ad bonum naturale: patriæ conservationem vel liberationem, defensionem prolium &c. Fortitudo infusa in ordine ad finem supernaturalem: ut conservationem fidei & religionis &c. Justitia acquisita tribuit cuique suum juxta regulas civiles, ut in hominum societate pax & concordia servetur. Justitia infusa reddit suum cuique, ut simul est elevatus ad statum supernaturalem, cohæres futurus vitæ æternæ &c.

Q U Æ S T I O II.

De causis & subjecto virtutum.

Suppono 1. Quod virtus adinstar alterius qualitatis operativæ dependeat à quatuor generibus causarum. Efficientis tum principalis tum instrumentalis à quâ sit, materialis objectivæ circa quam & subjectivæ in qua sit, formalis quâ sit, sive perquam extrinsecè specificetur, finalis propter quam sit, de duabus posterioribus causis certum est: formam virtutum esse honestatem illam specialem, quam actui tribuunt, & finem proximum esse hominis perfectionem moralem: quæstio igitur procedit de causâ efficiente & de subjecto proximo virtutum de quo

Suppono 2. Certum est subjectum proximum virtutum esse potentiam animæ: cum virtus sit perfectio potentiæ, est enim habitus operativus, operatio verò est ab anima per aliquam potentiam. Quæritur igitur in quibus potentiis virtus subjectetur.

DICO 1. *Aliquæ quidem virtutes morales & intellectuales possunt causari in nobis ex nostris actibus, tamen illæ non sunt proportionatæ virtutibus Theologicis, & ideò oportet alias eis proportionatas immediatè à Deo causari.* S. Th. hic Q. 63. a. 3. ad 1.

Prima

Prima pars probatur: Virtutes quibus perficitur voluntas & appetitus sensitivus circa bonum & intellectus circa verum naturæ intellectuali proportionatum, acquiruntur nostris actibus: quia earum virtutum principia naturaliter insunt, ex quibus tam scibilia quam agibilia inferuntur, suntque virtutum moralium & intellectualium seminaria; atqui per virtutes naturales morales & intellectuales perficitur voluntas & appetitus sensitivus circa bonum & intellectus circa verum naturæ intellectuali proportionatum. Ergo.

Secunda pars patet: Quia per virtutes Theologicas & morales infusas perficitur homo circa bonum & verum, quod totius naturæ exigentiam excedit, quarum nulla insunt homini principia, sed ipsæ velut prima & proxima actuum supernaturalium principia nobis conferuntur. Ergo à solo agente, quod omnem naturam creatam & creabilem excedit, causari possunt principaliter, instrumentaliter verò causantur per sacramenta ut proprietates cum gratiâ sanctificante connexæ. De quo in tertia parte plura.

DICO 2. *Virtus, quæ bene facit agere in actu, non solum in facultate, oportet, quod vel sit in ipsâ voluntate, vel in aliquâ potentiâ, secundum quod est est à voluntate mota* S. Th. hic Q. 56. a. 3. O.

Explicatur conclusio per partes.

1. In voluntate virtutes propriè dictæ subjectantur: voluntas enim vel fertur in bonum supernaturale, vel in bonum naturale: ut attingat quodcunque bonum supernaturale: indiget virtute: quia tale bonum excedit proportionem naturalem voluntatis, cum sit ordinis divini & supra totam speciem naturæ humanæ, ideo ut simpliciter feratur in bonum supernaturale etiam proprii suppositi, necessaria est virtus in voluntate; si bonum illud in quod fertur voluntas, sit naturale, vel est bonum proprii suppositi, vel est bonum sup-

suppositi alterius; si sit bonum proprii suppositi; ad hoc non datur in voluntate virtus: quia in illa solum potentiâ opus est habitu virtutis, quæ non est proportionata, determinata & completa sive expedita ad objectum bonum: cum habitus ad hoc ordinentur, ut potentiam ultimò compleant & expédiant; atqui voluntas est proportionata ad attingendum bonum rationis proprium: quia voluntas est ipsamet inclinatio rationis. Et cum sit voluntas hujus individui, ex ratione individuali talis suppositi inclinat ad bonum connaturale proprii suppositi, ideoque nullâ indiget virtute vel habitu ad prosequendum bonum proprium. Si voluntas versatur circa bonum alienum sive naturale sive supernaturale, jam indiget habitu virtutis: cum amor sui semper in homine dominetur, necessaria est virtus justitiæ cum virtutibus connexis, quæ non obstante contradictione & pondere amoris proprii inclinet voluntatem ad consulendum utilitati proximi.

2. In intellectu sunt quidem virtutes, non tamen semper propriè dictæ; cujus ratio est: quia enim intellectus est indifferens ad intelligendum bene vel malè, cum sæpè objectum attingat malè falsum judicando verum, ideo, ut inclinetur & determinetur ad solam veritatem, indiget habitu intellectuali, qui cum non faciat semper simpliciter bonum, non enim semper inclinat ad actum moraliter & practicè bonum, sed sæpè solum speculativè bonum, ideo non omnes virtutes intellectuales sunt virtutes simpliciter dictæ.

3. Dantur in appetitu sensitivo quidem virtutes propriè dictæ, sed non nisi in quantum voluntatem conjunctam habet; ratio est: potentia, quæ est capax actûs virtuosi & indigens virtutibus, est subjectum virtutum, atqui appetitus sensitivus prout est in homine sive ut est conjunctus cum voluntate rationali est capax virtutum: ad hoc enim tria requiruntur: 1. Ut
possit

possit regulari & moveri à superiori. 2. Ut non sit alligata uni modo operandi. 3. Ut sit electiva actûs perfecti. Hæc omnia reperiuntur in appetitu sensitivo hominis ; imprimis appetitus sensitivus hominis est mobilis & dirigibilis à ratione. Deinde non est determinatus & alligatus ad certum modum operandi, aliquando enim fertur in objectum sensibile juxta regulas rectæ rationis, quandoque limites rectæ rationis excedit in appetendo. Demum est electivus actûs perfecti vel consummativus actûs virtuosii ; quia passiones, quæ solæ sunt objecta virtutum in appetitu sensitivo residentium, intra limites ejusdem appetitûs moderantur ad regulam rectæ rationis. Adde. Appetitus sensitivus est indigens virtutibus : quia moderatio passionum juxta regulam rectæ rationis est dura & difficilis, quæ difficultas per virtutes superatur tum eliciendo actus oppositos passionibus immoderatis, tum inclinando appetitum in objectum appetibile consonum rectæ rationi ; in appetitu igitur sensitivo conjuncto cum voluntate resident virtutes morales moderantes timores & audacias, quæ sunt passiones appetitûs irascibilis ut : fortitudo. Et cohibentes delectationes sensuum, quæ sunt passiones appetitûs concupiscibilis : ut delectationem in cibo & potu, quam moderatur sobrietas, vel delectationes venereas, quas cohibet castitas.

Obj. I. contra *I. p.* Intellectus ad attingendum quodcunque verum indiget habitu virtutis etiam ad ipsa prima principia, quæ si sint speculativa, attinguntur per habitum primorum principiorum ; si sint practica, attinguntur per Synderesin, ergo etiam in voluntate ad quodcunque bonum sive naturale sive supernaturale sive alienum sive proprium requiritur virtus.

R. Negando consequentiam. Disparitas est : quia intellectus ad quamcunque intellectionem indiget speciebus superadditis, ideo quælibet intellectio habet aliquam

aliquam difficultatem, & excedit innatam virtutem intellectus, ac proinde perfici debet ad quodlibet verum attingendum; voluntas verò ex seipsa est inclinatio in actu primo completa ad bonum proprii suppositi sibi proportionatum, ex quo per seipsam est sufficiens absque ullo habitu superaddito ad attingendum bonum connaturale proprii suppositi præsupposito solum actu intellectus illud proponente, & consequenter non indiget habitu nisi ad bonum vel improportionatum: ut est bonum superneurale, vel ad bonum alienum, quod potest repugnare bono proprio, à cuius prosecutione avertitur voluntas per aliquod existens in voluntate: scilicet amorem proprium, sive inclinationem in bonum proprium, quæ in homine est primum movens & ultimò moriens.

Obj. 2. In voluntate datur habitus vitii ad malum bono proprii suppositi contrarium. Ergo etiam habitus virtutis ad bonum oppositum.

R. Negant aliqui Thomistæ consequentiam dando hanc disparitatem: quia voluntas non est ex sua natura in malum bono proprio oppositum propensa, hinc actibus malis aliqua facilitas in malum proprii suppositi generatur; at voluntas ex opposito in bonum proprium seipsam inclinatur, ideo non indiget habitu. Alii negant ant. ad cuius falsitatem explicandam utuntur hoc exemplo: lapis ex hoc, quod projiciatur sursum nullam acquirit ascendendi facilitatem, cum ex sua natura tendat deorsum; eodem modo voluntas ex sua natura inclinata in bonum proprii suppositi, quantumcunque actibus contrariis in malum proprii suppositi impellatur, non acquirit habitum vitii facilitantem ad malum proprii suppositi.

Obj. 3. Voluntas sæpius patitur difficultatem in prosequendo bono naturali proprii suppositi sibi per rectam rationem propositi; ergo ad hoc indiget habitu

vir-

virtutis, cum virtutes dentur ad tollendam difficultatem in exercitio virtutum.

R. Distinguendo ant. Sæpius voluntas experitur difficultatem in prosequendo ordinatè bono proprio per se N. per accidens Con. Patitur enim voluntas hanc difficultatem vel ratione passionum, ita intemperans appetit cibum & potum læsivum sanitatis, vel propter concurrentiam boni alieni, ita invidus mavult catere bono proprio, quam ut proximus, cui invidet, simile vel majus bonum obtineat. Ad hanc difficultatem per accidens exortam tollendam sunt collocandæ virtutes in appetitu sensitivo ad moderandas passiones, & in voluntate ad inclinandam illam in bonum non proprium, sed alienum.

Obj. Contra 2. partem: prudentia est virtus intellectualis, & tamen est virtus simpliciter dicta, imò Regina virtutum. Ergo datur in intellectu virtus simpliciter dicta.

R. Distinguendo conseq. Ergo datur in intellectu secundum se virtus simpliciter dicta N. In intellectu secundum quod habet ordinem ad voluntatem Con. Intellectus secundum se spectatus est tantum subjectum virtutis secundum quid; at in quantum est subditus voluntati & ab illâ movetur, est capax virtutis simpliciter dictæ, quia intellectus subordinatus voluntati tendit in bonum morale, quod est objectum virtutis simpliciter dictæ; talis virtus est prudentia, quæ non respicit veritatem speculativam sive conformitatem enuntiativam intellectus cum re enuntiatâ, in hâc enim sæpè fallitur, sed determinat ad veritatem moralem sive conformitatem cum appetitu recto.

Obj. 1. contra 3. partem. Objectum virtutis est bonum honestum à ratione propositum, objectum autem appetitus sensitivi est bonum delectabile sensibus

1. 2. Theol. Schol.

Q

per

per sensus propositum ; ergo appetitus sensitivus est incapax veræ virtutis.

R. Distinguendo 2. partem ant. Objectum appetitus sensitivi secundum se est delectabile sensibus per sensus propositum Con. Objectum appetitus sensitivi ut conjuncti cum ratione & voluntate est solum bonum sensibile. N. Appetitus sensitivus in homine , uti & cognitio sensitiva ex conjunctione cum ratione & subordinatione ad intellectum participativè elevatur ad attingendum bonum honestum : cum enim cognitio intellectiva boni sensualis cum suis circumstantiis præcedat, uti & propositio voluntati à prudentiâ facta, quod bonum sensuale in his circumstantiis rectè tali modo appetatur , dirigunt & elevant actum appetitus sensitivi, ut tale bonum sensuale juxta rectam rationem appetat, & ità fit , ut actus ille appetitus sensitivi immediatè quidem per sensum dirigatur , qui proponit bonum delectabile , mediatè tamen à ratione & prudentiâ in intellectu existente regulatur , dum hæ proponunt bonum delectabile conformiter ad rectam rationem , in quod inclinatur virtus moderativa passionum existens in appetitu sensitivo.

Obj. 2. Saltem subjectum virtutis debet esse potentia libera & electiva, cum actus virtutis sit actus humanus liber , laude dignus : actus autem appetitus sensitivi non proveniunt à potentiâ liberâ.

R. Distinguendo subsl. Non proveniunt à potentiâ liberâ formaliter & secundum se Con. Non proveniunt à potentiâ liberâ participativè per communicationem cum intellectu & voluntate N. Appetitus sensitivus ut est in homine habet vi primæ suæ emanationis, quâ comproductus est ut proprietas animæ habentis simul intellectum & voluntatem , quod sit aptus obedire voluntati & ita inchoativè est liber , completè autem est liber per participationem , eò quod moveatur

à vo.

De
voluntate ex p
virtutes resu
electivi parti
in quantum
virtutum, ut be
recte rationis.

Q U
De

Oppono; post
tam in statu in
aliquè est miseri
penar homo ra
menta virtutur
an virtutes in
suntur aliqua in
virtutes.

DICO: Imperf
el fortitudo nihil
n nobis existens ad
endum... Et ho
sunt connexæ.
virtus inclinans
pendendo virtute
us esse S. Th h
ma pars conc
ne.

ada pars probat
tam virtutis, qu
delectabiliter
hoc non pote
alia virtute
difficiliter ex
occurrentes qu
pro exemplo :

à voluntate ex præsupposito ductu rationis. Unde etiam virtutes residentes in appetitu sensitivo sunt habitus electivi participativè, vel dispositivè aut causaliter, in quantum disponunt & moderantur appetitum sensitivum, ut bene eligat bonum sensuale juxta regulas rectæ rationis.

QUÆSTIO III.

De connexione virtutum.

Suppono: posse in aliquo subjecto esse unam virtutem in statu imperfecto sine alterâ. Sic intemperans sæpè est misericors in pauperes, imò vix unquam reperitur homo tam vitiosus, in quo non sint aliqua lineamenta virtutum; sed status quæstionis in præsentem est: an virtutes inter se sint ita connexæ, ut non inveniatur aliqua in statu perfecto, quin adsint ceteræ virtutes.

DICO: *Imperfecta moralis virtus ut temperantia vel fortitudo nihil aliud est, quam aliqua inclinatio in nobis existens ad opus aliquod de genere bonorum faciendum... Et hoc modo accipiendo virtutes morales non sunt connexæ... Perfecta autem virtus moralis est habitus inclinans in bonum opus bene agendum & sic accipiendo virtutes morales, dicendum est eas connexas esse S. Th. hic Q. 65. a. 1. O.*

1ma pars conclusionis patet ex dictis in suppositione.

2da pars probatur: tum virtus habet statum perfectum virtutis, quando inclinatur voluntatem ad promptè & delectabiliter operandum in propriâ materiâ; atqui hoc non potest ulla virtus moralis præstare, nisi adsint aliæ virtutes; tum quia, nisi adsint aliæ virtutes, difficulter exercebit actus in propriâ materiâ propter occurrentes quotidie tentationes in materiâ alienâ. Sit pro exemplo: mulier sit pudica, quæ tamen simul

fit avara, hæc facile deficiet à virtute pudicitiae, & difficulter continuatè exercebit actus castitatis, si à leone offeratur summa pecuniae; tum quia non potest esse virtus moralis in statu perfecto, nisi adsit perfecta prudentia, sine quâ non habetur rectum iudicium & consilium de mediis ad finem virtutis; non potest autem esse perfecta prudentia sine aliis virtutibus: quia ad rectum iudicium & imperium practicum concurrunt plures circumstantiæ pertinentes ad materias aliarum virtutum, ideoque non potest esse perfecta prudentia sine omnibus virtutibus moralibus, quæ perficiunt hominem secundum communem statum.

Probatúr 2. Virtutes communes sunt ita cum charitate connexæ, ut in statu naturæ lapsæ non possit dari ulla virtus simpliciter & in statu perfecto absque charitate: quia non potest homo in statu naturæ elevatæ esse privatus gratiâ absque peccato mortali; atqui cum peccato mortali non potest esse perfecta prudentia, & sine prudentiâ non potest esse perfecta virtus: quia sine illâ non potest homo promptè & integrè in quacunque materiâ & eventu & contra quæcunque occurrentia impedimenta iudicare de quovis negotio: corrupto enim per peccatum appetitu obscuratur ratio, & iudicium depravatur, ideoque remotâ charitate nequit virtus ulla facere hominem simpliciter bonum.

Obj. 1. Virtutes habent diversa subjecta: aliquæ enim resident in voluntate, aliæ in appetitu sensitivo; ergo una virtus poterit esse in subjecto proprio sine alterâ, & consequenter etiam subsistere in statu perfecto sine alterâ.

R. Negando consequentiam: quia virtutes morales habent mutuam dependentiam ab invicem tam mediatam, ratione prudentiæ, in quâ omnes connectuntur, & charitatis, sine quâ nulla in statu perfecto esse potest, quàm immediatam ratione materiæ singularum

VIR

D
 virtutum: quia n
 mandat in mate
 semper perfe
 nisi ab ali
 se connexæ,
 sive diversa
 Obj. 2. Lapsus
 virtutum se dispon
 operandam; et
 nomine peccato
 cum per ta
 Distinguere
 statu perfecto e
 te operis Con.
 peccato mortali est
 virtus moralis non
 um firmitas motiv
 homo in statu pecca
 virtus perfectæ, pe
 non tamen perfecti
 cum enim bonum
 nem super omni
 virtute deficiet, si
 habet, & ita quæ
 mittant essentiam
 ablatâ enim
 virtutis firma electi
 Obj. 3. Una v
 perfecto; ergo e
 in imperfectos p
 virtutum perfecti
 Negando
 quod virtus possit
 virtutibus quande
 virtutibus, sed solum

virtutum: quia materia unius virtutis quodammodo redundat in materiam alterius: cum una virtus non possit semper perfectè medium attingere in propriâ materiâ, nisi ab aliis adjuvetur; ideoque virtutes sunt inter se connexæ, sive habeant idem subjectum formale, sive diversa subjecta formalia & proxima.

Obj. 2. Lapsus in peccatum mortale per exercitium virtutum se disponere potest, & obligatur ad gratiam recuperandam; ergo actus virtutum in statu perfecto in homine peccatore esse possunt, consequenter & habitus, cum per tales actus generentur habitus.

R. Distinguendo consequens. Ergo actus virtutum in statu perfecto esse possunt in homine peccatore ex parte operis *Con.* ex parte operantis *N.* Existens in peccato mortali est simpliciter malus, ideoque in tali virtus moralis non potest habere firmum motivum, cum firmitas motivi ex amore proficiscatur; unde licet homo in statu peccati mortalis possit elicere actum virtutis perfectæ, perfectione ex parte operis se tenente, non tamen perfectione se tenente ex parte operantis; cum enim bonum proprium sive propriam commoditatem super omnia diligat, dum se dabit occasio, à virtute deficiet, si ejus continuationi proprium bonum obstat, & ita quamvis virtutes remotâ charitate non amittant essentiam, amittunt tamen statum & firmitatem: ablatâ enim conversione ad ultimum finem non potest firma electio mediorum ad finem subsistere:

Obj. 3. Una virtus potest sine aliâ esse in statu imperfecto; ergo etiam in statu perfecto: per actus etenim imperfectos perficitur virtus, & tandem pervenit ad statum perfectum.

R. Negando consequentiam ad probat, dicitur: quod virtus possit esse dupliciter in statu imperfecto; imprimis quando virtus non pervenit ad rationem habitus, sed solum habet rationem dispositionis ortæ vel

ex naturali complexione, ex qua aliquis in unam magis virtutem quam aliam propendet, vel ex frequentia actuum imperfectorum; & certum est, posse talem dispositionem virtutis esse absque aliis virtutibus. Deinde quando quidem habet essentiam habitûs secundum se, sed non statum sive secundum quod inest subjecto, hoc modo virtus acquisita quamvis ad rationem essentialem virtutis pervenerit, si tamen non adsit charitas aut perfecta prudentia cum firmate aliarum virtutum habet solum modum dispositionis: quia non sat firmiter subjecto inhæret; quod intelligendum de virtutibus quæ secundum communem statum hominem perficiunt, quia virtutes, quæ perficiunt hominem secundum aliquem statum eminentem, & quarum materiæ communiter non occurrunt homini, non sunt semper connexæ cum aliis virtutibus, nisi de potentia: quia raro occurrit occasio exercendi tales virtutes.

QUÆSTIO IV.

De distinctione & medio virtutum.

DICO 1, *Sicut appetitus distinguitur à ratione, ita virtus moralis distinguitur ab intellectuali* S, Th. hic Q. 58. a. 2. O.

Conclusio ex primâ quæstione constat, in quâ triplex generaliter tradita est distinctio virtutum: 1. ma desumitur à distinctione subjecti, secundum quam aliæ virtutes sunt intellectuales, aliæ morales seu appetitivæ, sive in voluntate seu appetitu rationali, sive in appetitu sensitivo subjectentur. 2da distinctio desumitur ex diversitate causæ efficientis, secundum quam aliæ sunt virtutes naturales & acquisitæ, quarum causa efficiens est frequens exercitium actuum, aliæ virtutes sunt supernaturales & infusæ, quæ solum Deum cum gratia virtutes & dona supernaturalia infundentem pro causâ efficiente habent. 3tia distinctio desumitur

ex

ex parte objecti, secundum quam aliæ virtutes dicuntur Theologicæ, quæ immediatè circà Deum, sive objectum increatum versantur; aliæ morales, quæ immediatè versantur circà bonum finitum seu objectum creatum; superest: ut explicemus medium virtutum, cum juxta commune axioma virtus consistat in medio. Pro quo.

Nota: dupliciter potest virtus in medio consistere; 1. quasi formaliter & secundum se, quia habitus virtutis inter duo extrema, vid. duos vitiosos habitus sibi oppositos versatur: ut: virtus liberalitatis est media inter vitium avaritiæ & prodigalitatis. 2. Causaliter & ratione effectûs, quia virtus postulat, ut actus medium inter excessum & defectum attingat, quod iterum dupliciter fieri potest; primò per se & ex naturâ ipsius objecti, quia objectum virtutis est tale, ut illud tam per excessum transcendendi, quam per defectum ab eo deflecti possit: ut: temperantia in cibo & potu pro objecto habet moderatam mensuram cibi & potus, quam excedere vel à quâ deficere possit. 2dò per accidens, ita ut, quamvis medium secundum se per excessum transcendendi, & per defectum ab eo deflecti nequeat, virtus tamen exigat medium ex parte operantis, ut quoad circumstantias actum virtutis suo tempore, loco & modo exerceat; hoc prænotato,

DICO 2. *Bonum virtutum intellectualium & moralium consistit in medio per conformitatem ad regulam vel mensuram, quam transcendere contingit, quod non est in virtutibus Theologicis per se loquendo S. Th. hic Q. 64. a. 4. ad 1.*

Conclusio explicatur: Omnis quidem virtus consistit in medio: nam quod ita attingit suum objectum, ut nec suam regulam excedat, nec ab eâ deficiat, adeoque duo extrema vitiosa declinet, consistit in medio; atqui omnis virtus eo ipso, quo objectum virtuosè at-

tingit, ità illud attingit, ut nec suam regulam excedat, nec ab eà deficiat. Ergo consistit in medio, Non tamen omnes virtutes eodem modo in medio consistunt.

1. Omnes virtutes intellectuales & morales consistunt in medio per se & ratione objecti. De intellectualibus ratio est: quia objectum virtutum intellectualium est verum, cujus mensura est ipsa res, quæ potest attingi per excessum affirmando, quod res sit illud, quod revera non est, per defectum, negando rem non esse, quod revera est, inter quæ medium est conformitas ad ipsam rem, quæ est veritas. De moralibus ratio est: quia cum objectum virtutum moralium sit res creata & finita, idcirco in se & ratione sui excessum vel defectum admittere potest, ut vel nimis vel minus, quam oportet, ametur aut desideretur.

2. Virtutes morales, quæ circa passiones moderandas versantur, secundum se ita in medio consistunt, ut habeant duo vitia extremè sibi opposita. Ut: temperantia est media inter intemperantiam & insensibilitatem; Fortitudo inter timiditatem & temeritatem. Mansuetudo inter iracundiam & vecordiam.

3. Virtus justitiæ duo specialia habet circa medium; imprimis medium justitiæ, quod est justum jus alterius exæquans, est medium rei & non medium rationis, ut in aliis virtutibus moralibus. Ratio est: quia justitia habet medium in re secundum se, sine respectu ad dispositionem operantis: quando enim de debito justitiæ agitur, non quæritur, quâ ratione sit dispositus debitor: an pauper vel dives, fortis vel infirmus; sed quantum debeat, sive: an redditio debitoris cum jure creditoris coæquetur; & quamvis dispositio aut paupertas debitoris aliquando ad tempus excuset à debiti solutione, illud tamen, quamdiu non est solutum, semper manet solvendum; aliæ virtutes habent medium rationis:

quia

D
non habent
recti, sed med
actionem sec
& diversat
medium ir
infirmo, ju
non habet du
iustitiam p
est; non ta
multo detur, e
gitationem aut ne
debitum est.
dum est, inqua
mentem ad satis
creditoribus.
4. Demum vit
objecti medium re
gula vel objectur
divisibilis, immu
& bonitas, incap
tionis, & ideo pe
Dei, nec nimium
ari, nec is aman
ominis certis ter
ne necessitates a
ois requirunt; ic
ex parte subje
actus virtutur
omnis exercea
exercitio fidei,
sive ex parte
hos actus exe
ardamus. nec
ta & facultatis

quia non habent determinatam mensuram ex parte objecti, sed medium ex parte objecti determinatur per actionem secundum diversitatem circumstantiarum & diversam dispositionem operantis: aliud enim medium in cibo & potu determinatur sano, quam infirmo, juveni, quam seni &c. Deinde justitia non habet duo vitia sibi opposita: quamvis enim contra justitiam peccetur minus solvendo, quam justum est; non tamen contra justitiam peccatur, si plus justo detur, etsi per accidens quandoque per prodigalitatem aut neglectum respectu illorum, quibus aliquid debitum est, aliunde peccetur in plus dando quam justum est, in quantum vid. prodigens se reddit impotentem ad satisfaciendum, vel negligit satisfacere aliis creditoribus.

4. Demum virtutes Theologicæ per se & ratione objecti medium non habent: quia Deus, qui est regula vel objectum virtutum Theologicarum, est indivisibilis, immutabilis, summa & infinita veritas & bonitas, incapax omnis diminutionis & augmentationis, & ideo per se loquendo, quantum est ex parte Dei, nec nimium ei credi, nec plus æquo in eum sperari, nec is amari nimium potest; quia tamen vires hominis certis terminis sunt circumscriptæ, & hujus vitæ necessitates alias sæpè occupationes animæ & corporis requirunt; ideo in exercitio virtutum Theologicarum ex parte subjecti excessus accidere potest, non quod ipsi actus virtutum Theologicarum ex hoc, quod frequentius exercentur, sint mali; sed quod excessus in exercitio fidei, spei & charitatis per accidens quoad nos seu ex parte subjecti accidat, eo quod in conatu ad hos actus exercendos terminos nostræ infirmitatis excedamus, nec debitas circumstantias humanæ virtutis & facultatis observemus.